

et permanens in innocentia sua. Ipse intercedat pro peccatis etc.

### Lectio VIII.

At vero, ubi ventum fuerit ad certamen, tum demum pristina lenitate postposita, tanquam si dicerent: nonne qui oderunt te, Domine, oderam et super inimicos tuos tabescebam? Irruunt in adversarios, hostes velut oves reputant, nequaquam, etsi paucissimi, vel sacram barbariem vel numerosam multitudinem formidantes. Noverunt siquidem non de suis praesumere viribus, sed de virtute Domini Sabaoth sperare victoriam, cui nimirum facile esse confidunt, juxta sententiam Machabei concludi multa in manu paucorum et non esse differentiam in conspectu Dei coeli, liberare in multis et in paucis, quia non in multitudine exercitus est victoria belli, sed de coelo fortitudo est. Ita denique miro quodam ac singulari modo cernuntur et agnis mitiores et leonibus ferociore, ut paene dubitem, quid potius censeam appellandos, monachos videlicet an milites, nisi quod utrumque forsan congruentius nominarim, quibus neutrum deesse cognoscitur nec monachi mansuetudo nec militis fortitudo. De qua re quid dicendum, nisi quod a Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris? Tales sibi elegit Deus et collegit a finibus terrae ministros ex fortissimis Israel, qui vere lectulum Salomonis vigilantiter fideliterque custodiant omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi.

R. Sint lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes in manibus vestris; est vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis.

V. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Et

vos similes, etc. Gloria Patri etc. Et vos similes etc.

### IX. Lectio

*dicatur de homilia occurrenti et in laudibus commem. seriae.*

*Quod si contigerit hoc festum celebrari extra quadragesimam in die, in quo non occurrat festum simplex propriam lectionem habens, tunc dicatur octava lectio ab illis verbis:*

Ita denique: quae cum sequentibus usque ad finem legentur pro nona lectione.

*Missae dicitur: Os justi de communi Abbatum praeter sequentia:*

### Oratio.

Deus qui beato Raymundo Abbati praeliari praelia tua et fidei inimicos superare dedisti, concede, ut ejus nos intercessione muniti ab hostibus mentis et corporis liberemur. Per Dominum nostrum etc.

† *Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. 3.*

In illo tempore dicebat Joannes ad turbas, quae exhibant, ut baptizarentur ab ipso: genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos poenitentiae et ne coeperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahamae; jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur et in ignem mittetur. Et interrogabant eum milites dicentes: Quid faciemus nos? et ait illis: neminem concutiat, neque calumniam faciatis et contenti estote stipendiis vestris.

*Caetera ut in dicto communi Abbatum.*

Nos igitur Caroli regis adducti piis precibus, audito venerabili fratre Dominico Archiepiscopo Myrensi C. S. R. Secretario, ut quotannis in die 15. mensis Martii ab universo Clero saeculari et regulari utriusque sexus cunctorum dominiorum eidem catholico regi subditorum supra descriptum Officium cum Missa recitari possit deinceps ritu duplici minore, auctoritate apostolica vigore praesentium benigne concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 5. Dec. 1800.

(Bull. r. t. Contin. t. XI. p. 82.)

### S. RAYMUNDUS NONNAT.

*Ad dubium:* Utrum Lectiones I. Noct. in festis s. Raymundi Nonnati et s. Stanislai Kostka sint de scriptura vel de communi?

Et S. eadem C. . . rescribendum censuit:

„De scriptura occurrenti legendas esse.“

Atque ita rescribere censuit et declarare. n. 5180 ad 10.

Die 25. Sept. 1852.

*Ad dubium:* An in Officio s. Raymundi Nonnati Conf. sub ritu duplici. persolvendo die 31. Aug. Lectiones I. Noct. esse omnino debeant de scriptura, quamvis vetera exemplaria habeant illas de communi, quarum initium: *Beatus vir?*

S. ipsa C. . . respondendum censuit:

„Legendas de scriptura.“

Atque ita rescripsit, declaravit servari mandavit die 29. Martii 1851. n. 5157 ad 1.

Vd.: *Lectiones de Sanctis* (decr. n. 4746.).

### S. RAYMUNDUS DE PENNAFORT.

Lugdunen.

Sacerdos Petrus Favier alumnus societatis Mariae in civitate Lugdunen. S. R. C. sequens dubium proponit ejusque solutionem demisse efflagitat pro tranquillitate conscientiarum inter suae societatis alumnos, qui omnes Rom. Ritum sequuntur:

Quum Offic. s. Raymundi de Pennafort Conf. in proprio Calendario fixe assignatum sit diei 28. Jan., quid agendum, dum, ob occurrentiam Septuag., festum SSmi Nom. Jesu reponendum sit ea ipsa die?

S. R. C. . . rescribendum censuit:

„Transferendum esse ulterius Officium s. Raymundi.“

Atque ita scribere rata est et declarare. n. 5116 ad 1.

Die 11. Sept. 1847.

### REBAPTIZANDI.

Vd.: *Baptism.* (Rebaptiz.)

### RECITATIO OFFICII.

Vd.: *Officium* (recitatio); *Psallendi modus.*

### RECONCILIATIO.

#### 1) Altaris.

Vd.: *Altare* (reconcil.); *Reconciliatio Ecclesiae* (praecipue, decr. n. 4577 nota).

#### 2) Coemeterii.

Vd.: *Benedictio rerum variarum*; *Reconciliatio Ecclesiae p. 10*; *Profanatio.*

#### 3) Ecclesiae.

##### a) A quo facienda?

Vd.: *Dedicatio Eccles.* et *Benedictio Oratorii et Eccles.*; *Ecclesia polluta*; *Benedictio* (deleg., decr. n. 3407); *Pollutio*; *Profanatio.*

*Ecclesiae consecratae* et *Coemeterii reconciliationem proprio Episcopo im-*

redito vel absente committendam esse alteri Episcopo. *Simplicem* vero benedictionem Ecclesiae vel Coemeterii *non consecrati* posse committi alicui Presbytero in dignitate ecclesiastica constituto. n. 371 die 9. Febr. 1608.

Quod si Ecclesia *non erit consecrata*, potest et debet lavari per Presbyterum aqua exorcizata, quae in dies benedicitur a Presbyteris; si autem Ecclesia *est consecrata*, non potest reconciliari nisi per Episcopum vel de commissione Papae aqua per Episcopum benedicta, quae fit cum cinere et vino per Episcopum tantum. n. 641 die 20. Junii 1626.

Ecclesia reconciliata etiam ab Episcopo non habente jurisdictionem in loco dicitur bene reconciliata. n. 1001 ad 3 die 19. Aug. 1634.

Provincialis Ordinis servorum cum aqua a se ipso benedicta reconciliavit Ecclesiam sui Ordinis ob sanguinis effusionem pollutam, ibique postea, ut prius, Officia recitata et Missae celebratae fuerunt.

S. C. resp.: Ecclesiam esse reconciliatam, sed in futurum abstinendos esse fratres in similibus. n. 1573 die 15. Dec. 1646.

#### RECONCILIATIO CARPEN.

Beatissimo Padre.

Il Canonico Bonaventura Bernardi Vicario Capitolare della Diocesi di Carpi nel Modenese, Oratore Umilissimo della Santità Vostra, con ogni venerazione rappresenta, qualmente essendo state di passaggio per quella Città le Truppe Austriache, han fatto la loro stazione in diverse Chiese di quella Città, fra le quali tre consecrate. Vi hanno i Soldati dormito, vi hanno fatto fuoco, et in alcune hanno rotto gli Altari, e vi hanno in altre tenuto ancora dei cavalli, servendosi per ogni uso, come fa la Truppa.

Il Vicario pertanto Oratore ricorre ai piedi della Santità Vostra, acciò voglia degnarsi dargli le opportune istruzioni, e facultà, onde poter benedire simili Chiese, e non ritardarsi a riaprirle per comodo dei Fedeli. Che etc.

Ex audientia Sanctissimi 3. Mart. 1821. SSmus Vicario Capitulari Oratori facultatem concedit, sive per se sive per alios Sacerdotes ab eo specialiter deputandos reconciliandi Ecclesias consecratas, de quibus in precibus, servato Ritu a Pontificali Romano praescripto adhibitaque aqua per Catholicum Episcopum benedicta, Ecclesiae autem simpliciter benedictae ab eodem Vicario vel a Sacerdotibus per eum designandis reconciliari poterunt juxta formam a Rituali Romano traditam. Quo vero ad altaria cum integra lapidea mensa, quoties fractura sit enormis, mensa omnino renovanda et ab Episcopo consecranda erit; secus licebit super iis celebrare, non obstante levi fractura in uno vel altero cornu. Reliqua autem altaria sacro tantum lapide instructa, si lapis iste integer sit, violata minime censenda sunt, ac ubi primum reparationes, quibus indigeant, expletas fuerint, ad sacra mysteria peragenda apta erunt.

Caeterum Vicarius Orator in Ecclesiarum reconciliatione exequenda prudenter se gerat, eandemque private et absque populi concursu fieri curet. n. 4577 die 3. Mart. 1821.

#### NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Ecclesiae semel consecratae, dummodo materialis fabrica ac praesertim parietes subsistant, etsi quocumque gravissimo crimine pollutae et violatae fuerint aut in profanum usum conversae, nova tamen consecratione non indigent. Interdictae utique sunt nec in iisdem sacra queunt celebrari mysteria, sed precibus et aspersionibus in Pontificalibus praescriptis debent

dumtaxat reconciliari. Eadem tenenda ratio quoad Oratoria minoresque Ecclesias, servata forma in Rituali Romano tradita, benedictas. Praeter Canonistas videri possunt collecta a Baruffaldo ad *Rituale Romanum* tit. 73. et a Catalano in *Commentariis cum ad idem Rituale tum ad Pontificale*. Quamquam vero reconciliatio Ecclesiae consecratae peragi nequeat nisi ab Episcopo loci Ordinario vel ab extraneo Episcopo de ejusdem mandato, nihilominus, urgentibus circumstantiis, Apostolica interveniente facultate, ab aliquo Sacerdote in ecclesiastica dignitate constituto fieri permittitur, eadem benedictione adhibita, qua utitur Episcopus, ut in Pontificali. (Vd. S. C. responsum die 19. Maii 1607 in *Placentina ad dub. 10.*)

Porro urgentes concurrebant causae in casu, de quo in precibus. Cum enim in civitate et dioecesi Carpeni plures essent Ecclesiae vel consecratae vel simpliciter benedictae, quae militaribus stationibus et excubiis profanatae ac violatae reconciliatione indigebant, et vacante Sede Episcopus non adesset, qui Pontificale praescriptum exequeretur, promptum praebere remedium opus erat ad exercitium Divini Cultus in iisdem restituendum; ideo SSmus D. N. benigne indulset, ut reconciliatio peragi posset vel ab ipso Vicario Capitulari vel ab aliis Sacerdotibus, quos deputandi eidem potestatem fecit, addita conditione *adhibendi aquam ab aliquo Catholico Episcopo benedictam*, quae certe parari nequit a simplici Sacerdote, cum sacrandam sit distinctis exorcismis et precibus a Pontificali praescriptis et commixtione nedum salis exorcizati verum etiam cineris et vini, juxta Text. cap. *Proposuisti, De consecrat. Ecclesiae et altaris*. Similis quasi casus habetur in *Argentina*, quamobrem Abbas Monasterii s. Mariae ad Schutteram petiit:

*An ipse cum aqua benedicta ab aliquo Catholico Antistite supradictas Ecclesias benedicere et reconciliare per seipsum, quatenus indigeant, possit? Quatenus negative, supplicat pro facultate.*

Et S. C. sub die 30. Mart. 1697 respondit: *Secretario cum SSmo pro facultate; et S. S. die 3. sequentis Aprilis facultatem benedicendi et reconciliandi supradictas Ecclesias, cum aqua tamen benedicta ab aliquo Episcopo Catholico et pro hac vice tantum benigne concessit.*

Non eadem servanda solemnitas est in reconciliandis Ecclesiis dumtaxat benedictis; et quoniam id non ad Ordinem (quemadmodum consecratio, ut declarat Gregorius IX. in cap. *Aqua, de consecrat. Ecclesiae et altaris*), sed ad jurisdictionem pertinet, ut potest Episcopus ad benedictionem explendam, simplicem Sacerdotem delegare, ita etiam et ad reconciliandam Ecclesiam violatam seu pollutam; ideo brevior minusque sollemnis formula traditur in Rituali Romano et in aspersionibus non alia adhibenda aqua est quam lustralis. Clara haec sunt, neque in his explanandis immorandum ulterius est; sed quoniam, veluti exonebat Vicarius Capitularis, eo usque processerat militaris licentia, ut et altaria in aliquibus Ecclesiis fracta fuerint, hinc etiam huic malo erat occurrendum. Non enim sicuti ad reconciliandam Ecclesiam, ita etiam ad altaria consecranda delegari congruit simplicem Sacerdotem, licet in potestate sit summi pastoris tale privilegium alicui concedere, quo sane fruantur quorundam insignium monasteriorum Abbates pro Ecclesiis sibi subjectis.

Nam etsi Episcopis nequeat accersiri ad hoc opus perficiendum, alii tamen non desunt modi, quibus suppleri potest defectus; praesertim vero

provisionali ac temporanea appositione Arae portatilis supra mensam execrati altaris. Ideo S. C. in dicta Placentina ad sequentia dubia: *An possit sacros lapides, nempe altaria portatilia a quocumque Catholico Antistite rite confecta, supradictis altaribus apponere, ut Sacrum ibidem licite peragi valeat? An in infrascriptis altaribus ... noviter constructis supradicta altaria portatilia apponere et deinde in eisdem licite Missa celebrari possit?* Respondit: *Affirmative ad formam Pontificalis Rom.*

Sed quia in supplici libello enunciatum tamen in alcune hanno rotto gli altari, quin constet de qualitate fracturae, ideo pro casuum diversitate sapienter in Rescripto est distinctioe provisum. Non enim per quamlibet fracturam execratur altare fixum ex integra lapidea mensa inferiori structurae caemento unita, sed illa tantum, quae enormis est. Hic autem videtur seiscitandi locus: quatenam quantaque sit enormis lapidis fractura, ob quam execratur altare juxta text. in cap.: *Ad haec, et cap.: Quod in dubiis de consecrat. Ecclesiae vel altaris?* Id per nostrum rescriptum declaratur, ubi dicitur celebrari posse Missam in altari, non obstante levi fractura in uno vel altero cornu. Idem Alexander III., qui in praefato cap.: *Quod in dubiis*, iterum consecrari jubet altare, cujus mensa semota fuerit vel enormiter fracta, per aliud rescriptum declarat, quid per dictionem *enormem* intelligat: nam consultus ab Archiepiscopo et Capitulo Bisuntino: num altare, cujus mensa in sua extremitate modicam passa fuerat fracturam, iterum consecrari deberet? respondendum duxit, quod cum altaris tabula mota vel enormiter laesa non fuerit, ob casum praedictum nec Ecclesia nec altare debent denuo consecrari. Ita in cap.: *Ligneis eod. tit.* Rescriptum igitur apprimè convenit cum *Alexandri* responso,

dum declarat, licere *super iis celebrare, non obstante levi fractura in uno alterove cornu.* Erit autem enormis fractura, si tabula fuerit vel in duas vel in plures notabiles partes divisa, ac proinde continuationem, integritatem et substantialem unitatem amittat. Talis etiam erit vel res sit de altaribus fixis vel de Aris viatoriis, si divisa per fracturam aliqua sit ex illis partibus, in quibus peculiare unctiones fuerant adhibitae, subtiles candelae accensae, thus crematum. Nam, etiamsi juxta obvium materialem sensum fractura enormis non sit, respective tamen enormis evadit, quia separatae sunt partes specialibus precibus, formulis, signis, actionibus consecratae. Atque ita intelligendum esse puto textum in cap.: *Ligneis*: quippe cum ageretur de modica fractura in extremitate tabulae fixae, jure credi poterat integram remansisse continuationem partium, quae cruce signatae fuerant cum aqua benedicta, sacrisque oleis linitae. Verbo dicam: Execrata erit tabula, si pars fracta unam contineat ex laterilibus crucibus ab Episcopo in altaris consecratione specialiter benedictis.

Quamvis vel agatur de altari fixo et stabili vel de altari portatili et viatoria, enormis fractura insuper erit, si parvus ille lapis confractus fuerit, qui sigillum continet et claudit repositorium reliquiarum, quod sepulcrum dicimus. Per verbum *sigillum*, quo utitur Alexander III. in praefato cap.: *Ad haec*, a s. Canonum interpretibus relatis a Gonzalez ad idem caput intelligitur operimentum reliquiarum distinctum ab ipsomet lapide. Verumtamen hoc in casu, velut etiam et in altero, in quo nedom fractus lapis sed etiam reliquiae fuerant amotae, peculiaribus concurrentibus circumstantiis aliquam indulgentiam adhiberi posse S. R. C. putavit. Cum enim Augustanus Antistes exposuisset,

haberi in dioecesi Augustae quamplurima milliarum altarium pollutorum sola violatione Sepulcrorum, ex quibus s. reliquiae extractae fuerunt etc. Quamobrem supplicavit pro facultate illa reconciliandi sola repositione reliquiarum, iis tantum servatis caeremoniis, quae in Pontificali Romano praescribuntur. Et S. C. respondit: *In hoc casu gratiam praedictam posse concedi, si SSmo placuerit.* Die 21. Apr. 1668 et S. S. benigne annuit die 1. seq. Maii, ubi notatum est, S. C. a regula non recessisse, sed in casu quamdam agnovisse necessitatem relaxandi et moderandi rigorem ejusdem regulae ob ingentem numerum altarium, quae abstractione reliquiarum fuerant violata et grave nimis fuisset onus impositum Episcopo, si demandasset S. C. tot altarium integram Consecrationem, quae tamen peragi oportebat, nisi Pontifex suprema sua auctoritate petitam facultatem indulgisset. Nihilominus injuncta fuit conditio ea adimplendi, quae praescripta sunt in Pontificali Romano, dum in Sepulcro reconduntur reliquiae et superimponitur lapis.

Ita etiam indultum fuit Card. Archiepiscopo Beneventano (qui postea ad Petri Cathedram evectus Bened. XIII. appellatus est) licet in casu omnino diverso. Nam cum ipse vellet quaedam altaria ex plaste constructa destruere eorumque ex marmore novam constructionem demandare, quaesivit declarari: *An integris cum sepulcris s. reliquiarum, intactis permanentibus mensis altarium praedictorum, posse procedi ad novam eorumdem consecrationem, omissis caeremoniis ad repositionem reliquiarum pertinentibus?* S. R. C. respondit sub die 26. Novb. 1696: *Detur Decretum in Augustana die 21. Apr. 1668 editum, dummodo non transeat in exemplum.* Quaeri hic posset: quinam fuerit sensus S. C. jubendi dari Decretum in Augustana?

Multis non est opus, ut id intelligamus. Sicuti namque in Augustana integra altaria erant nec amotae tabulae fuerant a suis stipitibus, quae tamen violatae remanserant, subtractis e reposito reliquiis, mandaverat, ut, aliis omissis, eae servarentur caeremoniae, quae ex Pontificali Romano adhibendae sunt, dum Episcopus in medio tabulae reliquias ponit et, superimposito lapide, Sepulcrum claudit: ita et in Beneventana, cum violatio consisteret in remotione integrae lapideae mensae, intacto permanente reliquiarum Sepulcro, satis visum est S. C. indulgere, ut repositis iisdem lapideis tabulis, super nova inferiori structura, id ab Episcopo praestandum dumtaxat foret, quod lapideam tabulam cum inferiori stipite quodammodo jungit atque connectit, ope unctionum in angulis inter mensam subjectumque stipitem, servata forma Pontificalis. Neque in hoc etiam casu congrua deerat indulgentiae ratio, cum non una tantum vel altera, sed quatuordecim lapideae tabulae alias consecratae, integris adhuc et intactis reliquiarum Sepulcris, collocandae essent super noviter extractis marmoreis stipitibus. Nihilominus additum consulto fuit: *Dummodo non transeat in exemplum*: ne per indulgentiam et dispensationem, in hoc singulari casu adhibitam, quis crederet infirmari regulam traditam in cap.: *Quod in dubiis*, qua declaratur, execrari altare fixum semel ac lapidea mensa ab inferiori stipite semota fuerit, etiamsi nihil omnino de sua integritate perdiderit. Haec breviter adnotanda duxi ad majorem praesentis rescripti tum aliorum Decretorum, quae circa eandem rem versantur, elucidationem.

Clemens PP. III. Episcopo Saguntino.

Ecclesiis, quae sanguinis vel seminis sunt effusione pollutae, civitatis clericis

convocatis cum processione et aquae benedictae aspersione, prout in ordinario habetur adscriptum, poteris emundare.

Anno 1190.

(Bull. r. t. III. p. 76. Ed. Aug. Taur. 1858.)

Reconciliatio Ecclesiae pollutae, si prius fuerat consecrata, non potest fieri ab alio quam ab Episcopo Dioecetano vel ex ejusdem assensu aut commissione ab alio Episcopo; non autem potest Episcopus Dioecetanus ad hoc delegare simplicem Sacerdotem, textu expresso in cap.: *Aqua* 9. de consec. Eccles., ibi: „Aqua per Episcopum benedicta Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum non negamus, per Sacerdotes simplices hoc fieri de cetero prohibentes; non obstante consuetudine Provinciae Bracharensis (quae dicenda est potius corruptela) quia licet Episcopus committere valeat, quae jurisdictionis existunt, quae ordinis episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clericis demandare.“ Et quod Ecclesiae consecratae et Coemeterii reconciliatio non possit fieri nisi per Episcopum Dioecetanus vel per alium Episcopum de consensu ipsius et non per simplicem Sacerdotem, decrevit pluries S. R. C. et signanter in Placentina 19. Maii 1607, in Cameracensi 19. Febr. 1608 et in Aretin. 9. Apr. 1633. Ex privilegio seu commissione *Summi Pontificis* reconciliatio Ecclesiae pollutae potest fieri etiam a simplici Sacerdote. Est communis et habetur ex S. C. R., quae in Placentina 19. Maii 1607 decrevit, non posse simplicem Sacerdotem reconciliare Ecclesiam consecratam pollutam sine licentia Sedis Apostolicae. Et de facto ex privilegio a Leone Decimo concessa Generalibus, Provincialibus, Custodibus et Guardianis Fratrum minorum possunt ipsi aliique Praelati Regulares Ecclesias sibi sub-

jectas quomodocumque violatas, etiam prius consecratas, reconciliare, aqua per ipsos benedicta, si Episcopus, qui illam benedicit, distet ultra duas dietas, alias debent uti aqua per Episcopum benedicta. Tale privilegium habetur in compendio privilegiorum Fratrum minorum et aliorum Mendicantium et non Mendicantium ab *Alphonso de Casarub.* secundo edit. sub. verb.: *Benedicere* §. 4. et refert *Sayr.* de censur. lib. 5. cap. 16. n. 31. Immo *Rodriguez* tom. 1. qq. Regul. quaest. 19. art. 6., quem sequuntur *Barbosa* et alii, vult posse Regulares uti dicto privilegio reconciliandi Ecclesias aqua per ipsos benedicta, non solum quando Sedes ordinaria Episcopi distat duabus dietis ab Ecclesia polluta, sed etiam quando Episcopus taliter distat ratione suae absentiae vel abest per mortem, renunciationem, depositionem, exilium etc. Quaelibet dieta continet 20 miliaria Italica, juxta glossam in cap.: *Nonnulli* 28. de scriptis, verb.: *ultra duas dietas*; arg. l. 3. ff. de verbor. Significat., quam glossam sequitur *Barbos.* cum pluribus aliis ibi a se adductis.

Si Ecclesia polluta non fuerit consecrata, sed solummodo benedicta, reconciliari potest per quemlibet simplicem Sacerdotem per solam aquae lustralis aspersionem cap.: *Si Ecclesia* 10. de consecrat. Eccles., ibi: *Si Ecclesia non consecrata cujuscumque semine fuerit aut sanguinis effusione polluta, aqua protinus exorcizata lavetur*, et sic glossa communiter recepta ibi verb.: *Lavetur*. Neque requiritur, quod aqua pro reconcilianda Ecclesia non consecrata sit per Episcopum benedicta: debet enim statim etiam irrequisito Episcopo a Rectore Ecclesiae vel alio Sacerdote aqua lustrali lavari seu reconciliari, ut praescribit cit. textus: *Aqua protinus exorcizata lavetur*; quod non posset protinus fieri,

## RECTOR

### 1) Chori.

Cf.: *Cantor*; *Directio chori*; *Hebdomadar.*; *Punctator*; *Psallendi modus*.

Neque Episcopum neque ejus Vicarium posse eligere alium in rectorem chori sub praetextu, quod chorus non recte gubernetur, absque expressa licentia Sedis Apostolicae. n. 761 die 7. Aug. 1628.

Directionem chori spectare ad primam Dignitatem neque alium in ea posse se ingerere, etiam quod chorus non recte gubernetur, sine speciali licentia Sedis Apostolicae. n. 776 die 20. Nov. 1628.

Directio chori in defectum cantoris ad digniorem chori spectare et pertinere, non autem ad Vicarium generalem. n. 1635 die 2. Mart. 1652.

Directionem chori, nisi cantoris Dignitas vel similis, cui hujusmodi praerogativa et munus incumbat, in ipsa Cathedrali existat, ad Archidiaconum primam Dignitatem pertinere. n. 1749 die 19. Dec. 1654.

*Ad dubium* Capituli Cusentini: an directio chori spectet Vicario vel primae Dignitati? S. C. resp.: *Servari consuetudinem*. n. 2237 ad 1 die 4. Aug. 1663.

In Cathedrali Reatis absente Dignitate in festis solemnibus intonare Officium spectare ad hebdomadarium. n. 2942 die 1. Mart. 1681.

Pertinet ad Praefectum chori corrigere defectus, qui committuntur in choro et prohibere, ne ibi deferantur chirotecae, legantur libri, Epistolae etc. n. 4358 ad 7 die 7. Dec. 1771.

### 2) Ecclesiae.

Cf.: *Sessio*; *Ecclesia filialis*; *Aspersorii porrectio Episcopo in Eccles. Colleg. et parochialib. etc.*; *Canonici Cath.* (Assist. Episcopo extra Cathedr.); *Missa* (licentia); *Paroch.*

si Episcopi licentia, benedictio aut auctoritas esset expectanda et exorcismus aquae per Episcopum esset faciendus, nec haberetur justus finis intentus a Canone: *Ne Divinae laudis organa suspendantur*, ut in cit. cap.: *Si Ecclesia*, recte advertunt Doctores. Aliter loquitur citatus Maraviglia leg. 384. Prud. Episcop.; juxta ipsum enim poterit etiam Ecclesia consecrata polluta ex permissione Episcopi aut illius Vicarii ablui aqua benedicta per simplicem Sacerdotem adhibitis ordinariis benedictionum precibus et postea poterunt intra eam divina Officia celebrari, sicuti prius, donec per Episcopum consecretur. Contra vero si Ecclesia tantum benedicta et non consecrata polluat, sufficiat ordinaria quidem reconciliatio per simplicem Sacerdotem, sed ex mandato Episcopi, *ex c. fin. de consec. Eccles. juncta gloss.*

*Coemeterium consecratur et reconciliatur* eisdem modis et ab eisdem, a quibus consecratur et reconciliatur ipsa Ecclesia; arg. cap.: *Consulvisti* 7. de Ecclesiae consecrat. etc. S. Ecclesiam unic. eod. tit. in 6.

b) Ecclesiae a militibus profanatae.

Vd.: *Decr. Carpen. t. III. p. 6.*

Tolentin.

Quum Sacerdos Petrus Bonelli Canonieus Poenitentiarius Cath. Tolent. S. R. C. humillime rogarit, ut declarare dignaretur: Num Eccl. consecrata, quae militaribus stationibus et excubiis per biduum inservivit, censenda sit profanata ac propterea indigeat reconciliatione a Pontificali Rom. praescripta? S. eadem C. ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, referente Secretario, respondendum censuit: „Ad cautelam esse reconciliandam.“

N. 5077 die 27. Febr. 1847.

(celebrans ... decr. de die 26. Apr. 1634; 31. Mart. 1703); *Residentia* (Sacerd. alior., decr. 5. Nov. 1620); *Orator. publ.*

Accedente Archiepiscopo ad aliquam parochialem suae dioecesis cum Canonicis suae Cathedr. digniorem locum deberi Canonicis Cathedr. immediate post Archiepiscopum, rectorem vero sedere debere post Canonicos vel e regione Sedis Archiepiscopalis in scamno, prout sedent Dignitates et Canonici. n. 948 ad 3 et 4 die 14. Febr. 1632.

Ad rectorem Ecclesiae simplicis intra fines alicujus parochiae existentis spectare functiones solemnes. n. 1275 die 6. Oct. 1640.

## SS. REDEMPTOR.

### 1) Obligatio ad Off.

*De Congregatione „SS. Redemptoris“ et de ejusdem Officio, vd.: Calendar. Congregat. ss. Redempt.; Color Parament. in festo ss. Redempt. De Ordinandis Congreg. ss. Redempt., vd.: Ordinatio (Titulus).*

*Ad dubium:* 1. an, qui ex apost. Indulto Officium recitant ss. Redempt. dominica 3. Julii sub ritu dupl. 2 cl. cum octava, teneantur illud iterum recitare die 23. Octobris?

2. An illud Officium omittere debeant die 23. Oct., quum recitaverint dom. 3. Julii?

3. Utrum debeant illud omittere eadem dom. 3. Julii et recitare die 23. Oct., quo ritu et an cum octava?

S. C. resp.: Officium ss. Redempt. fiat tantum decimo Calend. Novbr. ad formam nuperrimi decreti die 8. Maii currentis anni servato ritu et forma juxta priores particulares concessiones. n. 4663 die 17. Julii 1830.

### Pius PP. VI.

Exponi Nobis nuper fecit venerabilis frater Episcopus s. Crucis della Sierra

in Indiis, quod ipse ad magis promovendam utriusque Cleri suae civitatis et dioecesis praedictae devotionem, quae jam viget erga ss. Redemptorem, Officium proprium et Missa ejusdem ss. Redemptoris jam favore civitatis Venetiarum adprobata pro die 20. Julii ad dictum clerum per Nos extendi summopere cupit, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis providere et indulgere de benignitate apostolica dignaremur, Nos igitur dictum exponentem Episcopum specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut in posterum uterque Clerus dictae civitatis et dioecesis. s. Crucis della Sierra in Indiis Officium proprium et Missam ss. Redemptoris jam pro civitate Venetiarum, ut praefertur, adprobat. pro die 20. Julii, ritu duplici secundae classis absque octava (demptis tamen a sexta lectione secundi nocturni sequentibus verbis: *Hanc igitur immensae largitatis etc.* usque ad finem) recitare et celebrare libere et licite possit ac valeat, licentiam et facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et impertimur.

Datum Romae die 27. Mart. 1787.

(Bull. r. Continuatio t. VIII. p. 9. Ed. Rom. 1843.)

### Pius PP. VI.

Quum Venerabilis Frater Episcopus Pacensis, sicut exponi ipse Nobis nuper fecit, vehementer laboret, quo sibi crediti fideles majori in dies pietate colant unum mediatorem Dei et hominum Christum Jesum, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, suasque spes omnes in eo collocent atque in ejus sanguine multo melius clamante quam Abel, Nobis propterea supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere et ut

infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur, quibus hoc studium ejus quam maxime probatur, ipsum specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine humiliter porrectis inclinati, ut post-hac ab universo Clero saeculari necnon a religiosis et monialibus utentibus calendario dioecetano civitatis et dioecesis Pacensis recitari possit quotannis in dominica 3. Julii ritu duplici 2. classis sine octava Officium cum Missa SSmi Redemptoris jam adprobat. pro civitate Venetiarum demptis tamen a sexta lectione verbis illis: *Hanc igitur immensae largitatis etc.* usque ad finem; atque etiam in una ex feriis sextis quadragesimae vel mensis Martii semel in perpetuum ab eodem Episcopo destinanda ritu duplici maj. Officium cum Missa itidem adprobatum pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi; dummodo in eadem feria sexta non occurrat Officium ritus duplicis, quo casu transferatur Officium pretiosissimi Sanguinis ad primum diem non impeditum juxta rubricas, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 11. Septbr. 1795.

(Bull. r. Continuatio t. IX. p. 566.)

### 2) Translatio.

*De transl. Officii SS. Redemptoris, quando occurrit cum festo Patroni Dioecesis, vd.: Patronus Dioecesis (oblig. ad Offic., decr. n. 4842).*

*Ad dubium:* Domin. 2. post Pascha fit Officium SS. Redemptoris et dom. 3. Patrocinii s. Joseph. Si in has dominicas incideret fest. s. Marci Evang., ss. Ap. Philippi et Jacobi vel Invent. ss. Crucis, quae sunt aequalis ritus, de quonam agendum? Et Officia dominicis affixa possuntne transferri?

S. C. resp.: Agendum de Officio occurrenti et Officia SS. Redemptoris et Patrocinii s. Joseph transferantur, quatenus in Indulto sit facta facultas. n. 4859 ad 12 die 3. Aug. 1839.

## REDUCTIO

### 1) Festorum.

Vd.: *Festum* (abrogatio); *Vacatio ab operibus.*

Litterae apostolicae in forma Brevis super observantia et reductione festorum pro utriusque Siciliae regno.

*Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis ac dilectis Filiis Ordinariis et Capitulis Ecclesiarum vacantium regni utriusque Siciliae.*

### Pius PP. VII.

Venerabiles Fratres ac dilecti Filii salutem et apost. benedictionem.

Paternae charitati, qua Christiani fideles omnes in Domino complectimur, illud maxime consentaneum videtur, ut dum spirituali populorum utilitati prospicimus, temporalibus eorum necessitatibus opportune ac salubriter pro temporum ac locorum ratione providere non recusemus. His igitur de causis propenso excepimus animo praeces carissimi in Christo Filii Nostri Ferdinandi regni utriusque Siciliae regis illustris, qui cum a dierum festorum, summa licet sapientia et magna cum animarum utilitate jam in Ecclesia institutorum, in suis citra et trans Pharam ditionibus numero sensim tractu temporis adaucto, non leviam incommoda quoad subditorum suorum temporalia negotia, praesentium temporum inopia, prodire videat, eis pro suo in subjectos sibi populos studio consulere cupiens, a Nobis flagitavit, ut eosdem a nonnullorum festorum dierum praecepto solutos omnino esse,